



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**P. Virgilio Maronis Aliorumque Poetarum Opuscula, Sive
Lusus**

Vergilius Maro, Publius

Antverpiae, 1566

P. Virgilio Maronis In Laudem Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69268)

*Temperies Autumnne fluit tua nectare dulci,
Per' que Hiemem lentus calo niuis aduolat imber.*

*Veris honos tepidi floret, Vere omnia rident.
Arua sub aestiuis undant horrentia flabris.
Vite coronatas Autumnus degrauiat ulmos,
Decutit ipse rigor siluis Hiemalis honorem.*

*Flore solum vario depingit odoriferum Ver,
Falciferam' que Deam messes remorantur in Aestu.
Dat musto grauidas Autumnus pomifer uuas.
Sithonia glacialis Hiems niue cana senescit.*

Lib. 2. Meta.

P. Ouidij Nasonis de iisdem.

*Ver' que nouum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda Aestas, & spicea ferta gerebat,
Stabat & Autumnus, calcatis sordidus uuis,
Et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos.*

P. VIRGILII MARONIS IN

LAUDEM AVGVSTI.

*Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè:
Diuisum imperium cum Ioue Caesar habet.*

*Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aues.
Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boues.*

In eundem Monostichon.

Iupiter in calis, Caesar regit omnia terris.

In Balistam.

*Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte, * dieque tuum carpe viator iter.*

die raturum

In

In puerum formosum.

*Dum dubitat Natura marem faceret ne puellam,
Factus es o pulcer pane puella puer.*

Incerti auctoris.

5 *Tarpeo quondam confedit culmine cornix:
Est bene, non potuit dicere: dixit, erit.*

Incerti auctoris.

*Littera rem gestam loquitur, res ipsa medullam
Verbi, quam viua mens videt, intus habet.*

10 *Mors trium, incerti auctoris.*

*Sus, iuuenis, serpens, casum venere sub vnum:
Sus iacet ex ictu, pede serpens, ille veneno.*

*Anguis, aper, iuuenis, pereunt vi, vulnere, morsu:
Hic fremit, ille gemit, sibilat hic moriens.*

15 *Sus, serpens, iuuenis pariter periere vicissim:
Dente perit iuuenis, serpens pede, porcus ab ictu.*

CAELII FIRMINIANI SIMPHOSII

DE FORTVNA.

20

*O Fortuna potens, quam variabilis:
Tantum iuris atrox qua tibi vindicas,
Euertis que bonos, eligis improbos,
Nec seruare potes muneribus fidem.*

25 *Fortuna immeritos auget honoribus
Fortuna innocuos cladibus afficit.*

*Iustos illa viros pauperie grauat:
Indignos eadem diuitijs beat.*

Hec aufert iuuenes, & retinet senes,

30 *Iniuſto arbitrio tempora diuidens.
Quod dignis adimit, transit ad impios.
Nec discrimen habet, rectaue indicat,*

f 3

Incon

Carmen cho-
riambicum As-
clepiadeum.